



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Secvnda Et Tertia Controversia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

nem, vt sic non dicere perfectionem, vix posse vitare quin vel relatio habeat vim terminandi à perfectione absoluta, quam habet ratione essentialis; vel terminet, prout nullam dicit perfectionem: nam si relatio diuina, vt sic nullam dicit perfectionem; ergo non continet eminenter personalitatem creatam: ergo non potest supplere vicem illius; ergo secundum propriam rationem non potest esse terminus huius vnionis. Cui cauillationi facile satisficit ex doctrina Caietani hic & in precedenti articulo, dicendo relationes personales dupliciter posse considerari: Vno modo quatenus dicunt ad seu respectum ad terminum, quomodo non sumuntur secundum eorum integritatem & completam rationem: alio modo quatenus sunt personarum constitutivæ, veluti hypostatice formæ; & ita sumuntur secundum perfectam & completam eorum rationem. Cum igitur ait Cai. relationes diuinas vt relationes sunt, nullam dicere perfectionem de eis loquitur priori modo sumptis: sic enim nullam possunt dicere perfectionem, vt ostendimus in 1. parte, quest. 28. ar. 2. Controu. 2. & secundum hanc rationem præcisè sumptam non habet filiatio vt terminet assumptam humanitatem; quoniam vt sic nulla conuenit illi substantia essentialis aut personalis, qua sola potest assumpta natura terminari. Cum autem hic affirmat, Verbum ratione proprietatis suæ personalis humanitatem assumptam terminare, de proprietate seu relatione personali loquitur integrè sumpta, quam in articulo precedente dixerat habere perfectionem infinitam in terminando, & tamen nullam dicere causalitatem: hic autem duo dicit, primum est; Filium subsistere formaliter sua personalitate, quæ est ipsa filiatio. Secundum est; subsistere esse formaliter magis personale quam essentialis in diuinis. Quibus si addamus substantiam formaliter esse perfectionem simpliciter; sequitur euidenter ac necessariò relationem personalem, puta filiationem integrè sumptam dicere perfectionem simpliciter infinitam in terminando; atque ideò continere personalitatem omnem creatam & creabilem eminenter. Et ex his soluitur quædam difficultas, quam idem expostor in fine dictæ disput. proponit, dicens non videri quomodo humanitas Christi possit terminari per relationem, quin Christus vt homo referatur ad patrem; dicendum est enim Christi humanitatem terminari per relationem filij quatenus est substantia personalis seu personalitas ipsius filij; ita vt ratio terminandi conueniat substantiæ & personalitati, vt personalitas est formaliter, relationi verò siue filiationi vt relatio est, quasi materialiter: constat autem substantiam & personalitatem diuinam sub hac ratione personalitatis & substantiæ non dici ad aliud; vt cum August. 7. de Trin. cap. 6. docet S. D. in 1. p. q. 29. a. 4. ad 1. Solutiones autem Suar. lege, si placet, apud eum loc. not.

Deinde aduerte Vasq. c. 2. & 3. imponere Caiet. quòd docuerit in Deo quatuor esse substantias, vnā absolutam & tres relatiuas, quæ est manifesta calumnia: nam, sicut hic Deus non ponit in numerum cum Patre & Filio & Spiritu S. sed tres istæ personæ sunt vnus & idem Deus; sic essentialis substantia non ponit in numerum cum tribus personalibus subsistentijs; eo quòd hæ tres substantiæ personales sint realiter vnæ & eadem essentialis substantia, vt latè cum Caietano declarauimus 1. p. in alleg. Controu. 2. ad a. 4. q. 39. Non sunt ergo quatuor in diuinis subsisten-

tia simpliciter loquendo; quia essentialis substantia à nulla ex personalibus est distincta realiter, & ideò non ponit cum eis in numerum. Cur autem in Deo dicantur absolute quatuor esse relationes; cum spiratio actiua sit eadem realiter paternitati & filiationi diximus in 1. p. qu. 32. a. 2. Cont. 3.

Postremo scito, Suar. disp. 12. sect. 2. imponere Cap. sententiam seu magis errorem Durandi, quem etiam Vasq. disp. 26. ca. 2. tribuit non solum Capr. sed etiam Victoriam & Soto, quos Aluar. in alleg. disp. 21. ab iniuria vindicat.

SECUNDA ET TERTIA CONTROVERSIA.

B DVAE aliæ superessent hic proponendæ ac definiendæ Controversiæ, nisi satis ab alijs fuissent examinatæ, ac optimè definitæ. ALTERA est; An per Dei potentiam potuerit aliqua creatura vnionem hypostaticam Verbi cum humanitate, vt instrumentum attingere? Cuius partem affirmatiuam tenet Suar. disp. 10. sect. 1. dicens pium esse & probabile, Beatissimam Virginem ad dictam vnionem instrumentaliter concurrisse: sed oppositam sententiam solidioribus fundamentis innixam alij recentiores sequuntur; ac præsertim Vasq. disp. 25. ca. 1. & Aluar. disp. 19. ad quos lectorem remittimus. ALTERA Controu. est: An in Christi humanitate ratione mysterij Incarnationis sint Pater & Spiritus S. per concomitantiam? Cuius partem affirmatiuam tuetur Vasq. disp. 28. c. 2. Sed opposita sententia quam sequitur Aluar. disp. 20. longè probabilior est & magis consona doctrinæ D. Th. vt probat hic expostor in alleg. disp. Quam vide si placet.

ARTICVLVS III.

Verum abstracta personalitate per intellectum natura diuina possit assumere.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd abstracta personalitate per intellectum, natura non possit assumere. Dictum est enim, quòd natura conuenit assumere ratione persone. Sed quod conuenit alicui ratione alicuius, remoto eo, non potest ei conuenire: sicut corpus, quod est visibile ratione coloris, sine colore videri non potest. Ergo abstracta personalitate per intellectum, natura assumere non potest.

Præterea, Assumptio importat terminum Vnionis; vt dictum est. Sed Vnio non potest fieri in natura, sed solum in persona. Ergo abstracta personalitate, natura diuina non potest assumere.

Præterea, In prima parte dictum est: quòd in diuinis abstracta personalitate, nihil manet. Sed assumens quod est aliquid. Ergo abstracta personalitate, non potest diuina natura assumere.

E Sed contra est, quòd in diuinis personalitas dicitur 40. a. 3. citur proprietas personalis: quæ triplex est, scilicet paternitas, filiatio, & processio: vt in prima parte dictum est. Sed remotis his per intellectum, adhuc remanet Dei omnipotentia, per quam est facta Incarnatio: q. 30. a. 2. sicut Angelus dicit Luca primo: Non erit impossibile apud Deum omne Verbum. Ergo videtur, quòd remota personalitate, natura diuina possit assumere.

Respondeo dicendum, quòd intellectus dupliciter se habet ad diuina. Vno modo, vt cognoscat Deum sicuti est: & sic impossibile est, quòd describeretur per intellectum aliquid à Deo, & quòd aliud remaneat: quia totum, quod est in Deo, est vnum, salua distinctione personarum: Quarum tamen vnæ tolli-